

Sedis delegato, summum quo Sedem apostolicam Romanam prosequuntur obsequium profitentur; agnoscunt quippe, juxta definitionem in concilio Florentino promulgatam, Romanum Pontificem successorem esse B. Petri, etc... Beatissimum igitur Pontificem Pium IX caput totius episcopatus agnoscunt divino jure constitutum, ejusque esse fratres in fide confirmare, cum unus sit omnium Pastor.

» Doctrinam insuper, quam ab apostolis traditam in Ecclesia Romana constat semper esse servatam per episcoporum successionem, profitentur integram, prout in conciliorum auctoritatem, praesertim Tridentini, decretis, et in summorum Pontificum constitutionibus explicata est. »

Inter decreta concilii Viennensis, in Austria, anno 1858 habiti, sequens legitur: « Cum prout unus est Christus, una est Ecclesia sponsa ipsius, Dominus noster unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit (Cypr. de unit. Eccl. cap. iv). Igitur omnibus quidem apostolis dixit: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (Joan. xx, 2), unum autem Petrum petram constituit, super quam aedificavit Ecclesiam suam, ne portae inferi praevalerent adversus eam; pro uno Petro rogavit ne deficeret fides ejus; unum Petrum fratres suos confirmare jussit; uni Petro agnos et oves pascendos tradidit. Petrus apostolorum princeps et caput semper in suis successoribus vivit (conc. Ephes. act. III, ap. Colet. III, col. 1134), et per Pontificem Romanum loquitur (conc. Chalc. act. II, ap. Colet. IV, col. 1233). Quapropter dominicis obedientes verbis, cum S. Ignatio martyre, qui secundum post Petrum Antiochenorum Ecclesiam rexit (Euseb. Caes. Hist. eccl. III, 22, 36) Ecclesiam Romanam charitatis caeteri praesidentem (Epist. ad Rom.) salutamus, et cum S. Irenaeo discipulo S. Polycarpi, qui S. Joannem apostolum docentem audierat, profitemur cum hac Ecclesia, propter potiorem principalitatem, necesse esse omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undique fideles. Cum omnibus autem, qui in orbe terrarum sunt, catholicis, tenemus et annuntiamus quae concilii Florentini Patres, Occidente et Oriente in unum conspirantibus, decreverunt: « Definimus » Romanum Pontificem, etc. »

« Quamvis Pontifex Romanus universae, quae sub caelo est, Christi Ecclesiae moderator et pastor existat (Theod. Stud. epist. 1, n. 34), Occidentis tamen Ecclesiae peculiari simul titulo praest. Quarto jam post Virginis partum seculo, provinciae omnes quae tunc Italiae, Galliarum et Illyrici praefecturis continebantur patriarchali ejus juri suberant: unde cum major et melior Illyrici pars imperio orientali adjiceretur, episcopus Thessalonicensis delegationem accepit iara patriarchalia his in provinciis, sanctae Sedis nomine, exercendi; neque refragabantur Graeci, donec pace ecclesiastica

iconoclastarum haeresi perturbata, Illyricum orientale patriarchatui Constantinopolitano usurpatione iniqua transcriberetur. Patriarchatui Romano accessit Germania laboribus apostolicis virorum, qui patriarchali summi Pontificis potestate suberant, ad Christum et vitam perducta; S. Bonifacius, qui in re christiana per Germaniam propaganda et confirmanda omnibus abundantius laboravit, legatione apostolica fungebatur. Cum itaque Sedi apostolicae multiplici titulo devincti simus, sanctum nobis est honorem matri, obsequium magistræ omnium Ecclesiarum debitum coram caelo et terra profiteri et Petro in Pio Nono propensissima voluntate persolvere (Tit. II, cap. 1). »

Tandem Patres concilii Colonien-sis, anno 1860 celebrati, de Romano Pontifice luculentissime post alios tractant. « Christus, inquit, ut Ecclesiae, corpori suo mystico et visibili, visibile etiam, postquam hinc discessisset, caput constitueret, Simonem Petrum apostolorum creavit principem. Id ut significaret, super Petrum se aedificaturum Ecclesiam edixit. Quam aedificium a fundamento, eandem a Petro, fundamento visibili, firmitatem acceptura declaratur Ecclesia. Sunt quidem et reliqui apostoli, cum potestate praediti sint, Ecclesiae fundamenta, attamen non tam insigni quo Petrus modo. Hic enim praeter ceteris unum et universale constituitur fundamentum, cum ei, sicut praeter ceteris Jesum Christum Dei Filium professus erat, praeter ceteris prerogativa esset deferenda. Hoc quo fieret manifestius, plenam de omnibus quae ad Ecclesiam respiciunt statuendi seu clavium potestatem Christus ei promisit. Etsi clavium potestas etiam reliquis concedenda erat apostolis, eminentior tamen modo confertur Petro, cum, quod omnibus est commune, non singularis dignitas fuisset nec munus singulare ob singularem fidei professionem delatum. Haec autem singularem dignitatem et potestatem regere Christus tunc contulit in Petrum, cum, postquam e sepulchro vivus proderit, agnos ovesque pascendi munus eidem imposuit. Soli iterum Petro munus hoc tam amplum, quod et agnos et oves totumque Christi gregem, omnes denique, qui inter Christi oves referri cupiunt, omnes proin Ecclesiae ordines respicit, demandari videmus, cum Petrus, an praeter ceteris apostolis Christum amet interrogatus, praeter ceteris etiam distinguendus declaratur. Jam etiam manifestum est cur soli Simoni Petro Christus nomen imposuerit, quod aliquam in Ecclesia significaret potestatem, cur singulari modo pro Petro rogaverit ne ejus deficeret fides, et ut aliquando conversus fratres confirmaret.

» Longum est Patrum tam Graecorum quam Latinorum singillatim referre testimonia, qui modo a Petro unitatis originem repetunt (Cyprian. de Unit. Eccl.), modo eundem caput constitutum dicunt, ut schismatis tollatur occasio (Hieron. in Joann. lib. I, n. 26), modo os et apostolorum principem appellant (Chrysost. hom. 87 in Joann.), modo ubi

Petrus ibi Ecclesiam esse declarant (Ambr. in Psal. xl). Communem fuisse apud Graecos et Latinos illam Christi verborum interpretationem e S. Gregorio Magno discimus, qui apud Mauritium imperatorem de Joanne Constantinopolitano episcopo, universalis sibi appellationem arrogante, conquerens scribit: Cunctis Evangelium scientibus liquet quod voce dominica, sancto et omnium apostolorum Petro principi apostolorum totius Ecclesiae cura commissa est.

» Petro apostolorum principi unum aliquem in principatu successisse pronum jam est concludere, quandoquidem Christus cum illo apostolorum collegio, quemadmodam tunc erat constitutum, se perpetuo mansurum promiserat; hoc autem apostolorum collegium ita constitutum erat ut unus in eo gereret primatum. Petrus porro illud est Ecclesiae fundamentum illeque rector, a quo firmitatem Ecclesia acciperet, ut hostibus perpetuo esset superior. Semper autem aedificium indiget fundamento semperque civitas rectore. Dein cum semper his in terris ligandae et solvendae sint res gravissimae, semper etiam sit qui amplissima illa Petro demandata in Ecclesia polleat potestate necesse est. Denique cum semper sint oves agnoscendi pascendi semperque fratres confirmandi, non ad Petri personam munus hoc gravissimum Christus restrinxisse existimandus est. Itaque Petri aliquo successore constituto, corpus Ecclesiae visibile visibili insignitum est capite, et perfectissima gaudens unitate, quae facile per orbem disjicerentur membra colligit, mutuoque inter se Jungit nexu.

» Romanos vero Pontifices Petri, Romae pro fide interfecti, esse successores, id quidem inde ab initio constat omnibus, unde et rerum ecclesiasticarum scriptores antiquissimi, cum Romanorum Pontificum texunt seriem, a Petro incipiunt (Tertull. De praescript. cap. xxxii. — Iren. adv. Haer. lib. III, cap. iii. — Opt. Milev. adv. Parm. lib. II, cap. ii et iii). Cum enim episcopo succedat is qui defuncti sedem eo qui statutus est modo occupat, Petro tanquam Romanae Ecclesiae episcopo defuncto successerunt illi, qui in ejus locum Romae deinceps suffecti sunt. Collatam Petro potestatem pascendi, ligandi et solvendi fratresque confirmandi in se transiisse norant inde a primis saeculis Romani Pontifices. Praeclaris id S. Leo Papa effert verbis: « Quamvis, inquit, singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis praesint, sciantque se pro commissis sibi ovibus reddituros esse rationem, nobis tamen cum omnibus cura communis est, neque cujusquam administrationis non nostri laboris est portio; ut, dum ad beati apostoli Petri Sedem ex toto orbe coneuritur, et illa universalis Ecclesiae a Domino eadem commendata dilectio etiam ex nostra dispensatione deponitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis majora debemus (Serm. 4, al. 3, in Ann. assumpt., cap. ii). Petrum in Romanis Pontificibus vivere ac per eos-

dem loqui norant concilii Chalcedonensis Patres omnes qui, recitata Leonis Papae epistola uno ore professi sunt: « Petrus per Leonem locutus est. » Romana Ecclesia S. Cypriano est « Petri cathedra » atque Ecclesia principalis, unde unitas sacerdotum talis exorta est (ep. 55), est Ecclesiae catholicae radix et matrix, quam ut agnoscant et teneant alios hortatur (ep. 45). » De Romana Ecclesia agens S. Irenaeus ait: « Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles (adv. Haer.). » Non sua solum, sed omnium sensa S. Bernardus pandit, cum Eugenium Pontificem hisce compellat verbis: « Age, indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps episcoporum, tu haeres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii caeteri janitores et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utramque praeter ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Unde id pronem quaeris? ex verbo Domini (De consider. lib. II, cap. viii). »

» Itaque ad declarandam nostram in hanc Sedem Romanam et illum, qui Dei providentia nunc eam gloriosissime tenet, sanctissimum Patrem nostrum Pium IX venerationem et submissionem cum Patribus Florentini oecumenici concilii profiteamur sanctam apostolicam Sedem et Romanam Pontificem in universum orbem tenere primatum... » Insuper his qui praesentem materiam, de primatu scilicet Romani Pontificis, eruditiori methodo aggredi vellent, cum maximo fructu opera celebris Zaccariae perlegent, signanter sequentia quae rarius inveniuntur: *Le dottrine del preteso secolo illuminato XVIII intorno la gerarchia e la disciplina ecclesiastica confrontate colle dottrine del tenebroso secolo XIV*; Faenza, 1780, in-8°. — *Comandi che può, ubbidisca chi dee; o sia dissertazione della forza obbligatoria dell' ecclesiastica disciplina*; Faenza, 1788, in-8°. — *Rendete a Cesare cio ch'è di Cesare; ma sia Dio rendete quel ch'è di Dio, o sia dissertazione sulla podesta regolatrice della disciplina*; Faenza, 1788, in-8°.

ADNOTATIO II.

Lib. I, Decret. tit. XXXI, § I, n. 31, pag. 2.

AN PAROCHI JUS HABEANT FERENDI CENSURAS?

Negative respondet auctor noster et quidem merito. Circa hanc quaestionem sic se exprimit Giraldus

« In hac decretali, *Cum ab Ecclesiarum*, adstruitur parochis potestas ferendi in clericos suos parochianos interdicti et excommunicationis sententiam, quamque episcopus absque illius scientia relaxare non possit.

» Verum dicendum est cum Abbate hic, n. 4, vers. *Non iste plebanus*, et in c. *Si sacerdos*, n. 10 et Fagnan. ad hoc idem cap. III, tam in casu istius quam alterius mox transcriptæ decretalis, id ei competisse de iure speciali, id est ex privilegio vel prescriptione, quod tamen contraria consuetudine abolitum est; cum de cætero, quamvis parochus habeat curam et jurisdictionem ordinariam fori penitentialis seu interni, tam in clericos quam in laicos suos parochianos, ex communi tamen et in praxi recepta sententia, quam cum S. Th. in supplem. part. III, quæst. 22, art. 4, mordicus sustinent theologi et canonistæ, nullam habet jurisdictionem fori contentiosi seu externi, quidquid senserit Petrus Mignonius in sua disceptatione *De eminentiori parochorum dignitate supra canonicos* typis edita Florentiæ, anno 1732, in qua, innixus huic Alexandri decretali, asserere conatur iisdem competere jurisdictionem ordinariam, etiam in foro externo; quæ tamen valde confutata est a Joanne Dominico Lario, dissertatione Pisis impressa anno 1733. (*Expositio juris pontificii juxta recentiorum Ecclesiæ disciplinam*, part. I, sect. 177). »

ADNOTATIO III.

Lib. I. Tit. XXXI, § II, n. 37, pag. 7.

DE SENTENTIA DEPOSITIONIS ADVERSUS EPISCOPUM SENECENSEM IN CONCILIO EBREDUNENSI PROLATA.

« De facto, inquit auctor noster, observandum est decretum concilii Tridentini, sess. XXIV, cap. v. *de Reform.* ubi mature statutum fuit quod minores criminales causæ episcoporum in concilio tantum provinciali cognoscantur et determinentur vel a deputatis per concilium provinciale, causæ vero criminales graviores contra episcopos, quæ de depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Pontifice cognoscantur et terminentur. » Attamen, anno 1727, concilium Ebredunense in Galliis ad suum forum traxit causam DD. Soanen, episcopi Senecensis, illumque sententia depositionis plectere non dubitavit. Sed videtur concilium habuisse jus procedendi contra prædictam episcopum ex concessu sanctæ Sedis. Cf. D. Bouix, *de Concilio provinciali*, edit. sec. Lugduni et Parisiis, Regis Ruffet.

ADNOTATIO IV.

Lib. I. Tit. XXXI, § II, n. 47, pag. 8.

DE JURE VISITANDI PROVINCIAM METROPOLITANO OLIM TRIBUTO.

Hodiernis temporibus, anno scilicet 1852, prodijt in lucem Rothomagi apud Franciscum Le Bru-

ment *Regestrum visitationum Odonis archiepiscopi Rothomagensis* in-4^o opera Th. Bonnin. Sæculo XIII, Odo Rigaud sedem metropolitanam Rothomagensis tenebat. Posteritati reliquit volumen præbens methodum et ordinem peregrinationum ab eo susceptarum pro visitandis Ecclesiis juri suo metropolitano submissis, necnon varia documenta circa quæstiones tunc agitata. In his paginis elucet disciplina mediæ ævi. Episcopi suffraganei ad Sedem apostolicam confugerant petentes ut zelus metropolitani infra certos limites coarctaretur. Pontifex supremus, Innocentius IV, in gratiam Odonis pronuntiavit. Historiæ ecclesiasticæ peritiores summo cum fructu prædictum opus percurrant.

ADNOTATIO V.

Lib. I. tit. XXXI, § II, n. 49, pag. 9.

AN METROPOLITANI POSSINT COGERE SUBDITOS PROVINCIÆ AD SEQUENDUM CONSUETUDINEM ECCLESIE METROPOLITANÆ IN DIVINIS OFFICIIS?

Notandum quod, a tempore promulgationis decretorum concilii Tridentini et vi constitutionum pontificiarum circa Breviarium, Missale, Rituale et Cæremoniale, metropolitani non habent jus cogendi Ecclesias suffraganeas ad observandum consuetudines Ecclesiæ metropolitane in divinis officiis. Cf. D. Guéranger abbas Solesmensis opera, præsentim: *Institutions liturgiques. — Lettre à l'archevêque de Reims sur le droit de la liturgie.*

ADNOTATIO VI.

Lib. I. Tit. XXXI, § III, n. 74, pag. 12

DE POTESTATE PAPE IN EPISCOPOS EORUMQUE DIOCESES.

Ad roborandum auctoris nostri doctrinam circa potestatem supremi Pontificis in Ecclesias sive metropolitanas, sive cathedrales, ac etiam in prælatos easdem legitime possidentes, multum faciunt litteræ apostolicæ, *Qui Christi Domini vices*, anno 1801 datæ, quibus san. mem. Pius VII totum statum Ecclesiarum Galliæ supprimit et extinguit, ac de novo erigit decem ecclesias metropolitanas et quinquaginta cathedrales, ad placitum conventionis inter eundem pontificem Pium et gubernium Gallicanum. Sic enim loquitur Pontifex:

« Quoniam nunc magna cum animi nostri ægritudine in eo sumus ut, ex una parte etsi liberæ dimissiones multorum episcoporum ad nos venerint, multorum tamen aut nondum allatæ sint, aut litteræ allatæ, quæ rationes quarunt quibus differri hoc sacrificium possit, ex alia vero cum maximum periculum sit ne, si tanta res longius differatur, spoliata diutius suis pastoribus Galliæ, non solum religionis restitutio differatur, sed omnia, quod maxime timendum est, in deterius convertantur atque spes omnes nostræ ad nihilum recidant; postulat apostolici ministerii nostri ratio

ut nos, in tanto rei christianæ discrimine, cæteris rationibus omnibus, quamvis gravibus, unitatis ac religionis causa, quæ omnia potissima est judicanda, postpositis, ad ea deveniamus quæ ad opus tam laudabile, tanque Ecclesiæ salutare, conficiendam omnino necessaria sunt.

« Nos itaque, audito consilio plurium venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, derogamus expresse cuicumque assensui legitimorum archiepiscoporum, episcoporum, et capitulorum respectivarum Ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet ordinariorum, et perpetuo interdicimus iisdem quodcumque exercitium cuiusvis ecclesiasticæ jurisdictionis, nullius roboris declarantes quidquid quispiam eorum sit attentaturus, ita ut cæ Ecclesiæ et respectivæ eorum dioceses, sive integræ, sive ex parte, juxta novam peragendam circumscriptionem, et haberi debeant et sint revera prorsus liberæ, ut de iis nos constituere ac disponere ea forma possimus, quæ infra a nobis indicabitur.

« Habentes igitur prorsus pro expressis et integre insertis omnia et singula quæ præsentibus litteris necessario exprimenda et inserenda forent, supprimimus, annullamus et perpetuo extinguimus titulum, denominationem, totumque statum præsentem infra scriptarum Ecclesiarum archiepiscopatum et episcopatum, una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cuiuscumque generis, nimirum archiepiscopalis Parisiensis cum suis episcopatibus suffraganeis Carnotensi, Meldensi, Aurelianensi, Blesensi; item etc.; ita ut omnes supradicti archiepiscopatus et episcopatus cum abbatibus, etiamsi eæ vere essent nullius, cum separato territorio et jurisdictione, haberi debeant in posterum tanquam non amplius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnimodo extincti, aut in novam formam erigendi.

« Derogamus item cuicumque assensui illorum archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum ac quorumcumque ordinariorum, quorum Ecclesiæ ac dioceses, cum contineantur ex parte in supradicta extensione domini Gallicani, ex hoc tempore haberi debent perpetuo exemptæ ac separate a quacumque jurisdictione, jure ac prærogativa prædictorum archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum aliorumque ordinariorum, ad hoc ut respective earum partes applicari, uniri, atque corporari possint cum Ecclesiis ac diocesis nova circumscriptione (ut infra) erigendis. (*Concordat et reconil des bulles et brefs sur les affaires actuelles de l'Eglise de France, publiés par son Emin. Mgr le cardinal Caprara, Paris, Le Clère, an X.*) »

ADNOTATIO VII.

Lib. I. Tit. XXXI, § III, n. 77, pag. 13.

DE DIGNITATE ET POTESTATE EPISCOPORUM.

Sic se habet concilium Coloniense anni 1860, part. I, cap. XIII: « Christus quam potestatem

apostolis detulerat, eandem eorum successoribus committere voluit, subjunxit enim: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Itaque apostoli a divino Magister edocti et Spiritu sancto muniti in universam terram profecti sunt, prædicantes ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis; atque fidei doctrina sparsa, discipulos in Evangelii ministerium assumptos, et operis apostolici adiutores electos Ecclesiis Deo congregatis præfecerunt. Timotheum discipulum Paulus Ecclesiæ Ephesi fundatæ episcopum instituit. Titum Cretæ reliquit, ut per civitates presbyteros constitueret. Seniores Ephesinis fidelibus præfectos idem Paulus admonet ut attendant sibi et universo gregi, in quo eodem Spiritu sanctus posuerit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

« Itaque inde a suo primordio Ecclesia universa episcopos apostolis vicaria ordinatione succedere (Cyprian, ep. 60), habere successionem ab apostolis et cum episcopatus successione charisma veritatis certum (Iren., *adv. Hær.*, lib. IV, ca. XXVI, al. XLIII), Dei loco præsidere (Ignat., *epist. ad Magn.*, n. 6) credit. Ob tantam igitur dignitatem S. Ignatius martyr episcopos, ecclesiarum etiam angelos appellatos, ab omnibus sequendos esse enuntiat, ut Jesus Christus secutus est Patrem (*Ad Smyrn.* n. 8). Omnium denique sæculorum sanciens sacrosancta Tridentina synodus declarat episcopos in apostolorum locum successisse et positos esse a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei (sess. XXIII, *de Sac. ord.* cap. IV).

« Episcopi igitur legitime constituti imprimis Domini gregis rectores sunt, quibus, ut præcepta rite observentur omniaque tum in cultu divino tum in vita christiana rite ordinentur, cura commissa est. Pastores sunt qui, præeuntes gregem, in bona pascua educant, contra furcs et latrones luposque rapaces, sanguine etiam et vita profusa, oves tueantur. Custodes sunt, qui supra muros Jerusalem excubias perpetuo agentes, quid de nocte sit explorent, et hostes in sanctam civitatem irruentes repellant. Doctores sunt, qui depositum fidei custodientes et facientes opus Evangelistæ, tanquam boni Jesu Christi ministri, verbis fidei et bonæ doctrinæ si eles nutriant, et habentes formam sanctorum verborum, devitantes autem profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, sibi et suis attendant. Dispensatores mysteriorum Dei sunt, qui cum ipsi confirmationis præcipue aliorumque sacramentorum charismata salutaria distribuunt, tum levitas ad sanctuarii ministerium vocatos et institutos, unumquemque impositione et unctione sacris ordinibus initiatos, per singulas ecclesias constituant presbyteros qui idonei sint et alios docere ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, et in edificationem corporis Christi. Iudices sunt, quos qui audit, Deum audit, et qui spernit, Deum spernit, quibusque a Deo delictum sit officium non solum strenue invigilandi ut quæ-

cumque sunt vera, justa et sancta in Ecclesia Dei observentur, sed etiam intrepide arguendi peccantes ut et ceteri timorem habeant et scandalum de medio tollatur. Denique episcopi etiam patres sunt constituti in domo Dei et familia sanctorum, patres, inquit, qui quotquot in Jesu Christo per Evangelium geniti et ex aqua et Spiritu sancto renati sunt, paterno affectu complectantur ac foveant, debiles in bono proposito sustentent, pusillanimes consolentur, aberrantes reducant, infirmos consolident, contractos alligent, depravatos convertant, eos qui perierunt querant, inquietos corripiant, recalcitrantes castigant, charitatem in omnes, praesertim in aegros, et miseros foveant atque ita ministerium suum implentes et in omnibus bonorum operum exemplum seipsos praebentes, sollicitudine indefessa in id incumbant ut quos Deus redemit Deo adducant in vitam aeternam (Hilar. in *Matth.* cap. XXVII. — Chrysost. hom. 59 in *Joann.*) »

ADNOTATIO VIII.

Lib. I. Tit. XXXI, § III, n. 82, pag. 13.

DE POTESTATE EPISCOPORUM IN REGULARES EXEMPTOS.

Eruditis commendantur tres appendices a Giraldo fusissime concinnatae, part. I, sect. 490. In prima referuntur ea quae concilium Tridentinum permittit episcopis in exemptos tanquam apostolicae Sedis delegatis; in secunda enuntiantur ea quae concilium Tridentinum et constitutiones pontificiae posteriores tribuunt episcopis in regulares exemptos; in tertia vero recensentur nonnulla in quibus regulares exempti non subduntur episcopis. Illae tres appendices omnem materiam, exemptos et in primis regulares exemptos respicientem, cuique legenti praebent.

ADNOTATIO IX.

Lib. I. Tit. XXXI, § IV, n. 103, pag. 16.

AN ABBATES AD SYNODUM DIOECESANAM ACCEDERE TENEANTUR?

« Quoad onus accedendi ad synodum, inquit Giraldu, ad hanc accedere tenentur :

« I. Abbates saeculares, intra episcopi dioecesis existentes, nec ullo exemptionis praetextu possunt se ab eo eximere, et aeneis a jure statutis coerceri possunt ab episcopo, si accedere noluerint, ut notat Benedictus XIV, *de Syn. dioc.* lib. III, cap. 1, n. 3.

« II. Praepositi, qui ex privilegio Pii IV et ex antiqua consuetudine habet praeterea usum mitrae et baculi pastoralis, et una cum eo canonici; ex decretis S. Congr. conc. 5 april. 1732, et 29 aug. 1753.

« III. Abbates regulares, generali capitulo non subjecti, ex Trident. cap. II, sess. XXIV *de Reformatione.*

« IV. Regulares, curam animarum habentes, sive subjecti sint capitulo generali, sive non; cit. cap. II.

« Eximuntur tamen ab hoc onere abbates, qui subduntur capitulis generalibus, cit. cap. II, sicuti et abbates meliori exemptione praediti, habentes nempe territorium separatum cum vera qualitate nullius, laud. Benedictus, loco cit. n. 16. (*Expos. jur. pontif.* part. I, sect. 193). »

ADNOTATIO X.

Lib. I. Tit. XXXI, § VI, n. 171, pag. 27.

DE REGULARIBUS EXEMPTIS.

Consulantur variae casuum species, in appendicibus a Giraldo elaboratis, part. I, sect. 491, exhibitae; de quibus supra Adnotatione VIII.

ADNOTATIO XI.

Lib. I. Tit. XXXII, De officio judicis, § I, n. 31, pag. 32.

DE IMPLORATIONE OFFICII JUDICIS.

« Ex constitutione Benedicti XIV, *Romanae* 21 decemb. 1744, officium judicis implorari non potest in ditione ecclesiastica ad interponenda decreta voluntariae jurisdictionis in contractibus mulierum, minorum et impuberum, nisi iudex laurea doctorali in aliqua publica et approbata studiorum universitate sit insignitus, sub poenis ipso facto incurrendis, nullitatis decreti et infamiae respectu ipsius judicis, et perpetuae inhabilitatis ad quaecumque officia et magistratus, aliisque afflictivis Sedis apostolicae arbitrio infligendis.

« Ubi vero desit iudex laicus sic laureatus, decreta hujusmodi interponenda sunt ab episcopo sive ab illius generali vicario, vel alio loci ordinario iudice ecclesiastico, etiamsi agatur de bonis laicibus et inter mere laicos.

« Romae vero, interponenda sunt tantum a iudicibus ordinariis et quidem per se ipsos, id est, I. A cardinali vicario, ejusque vices gerente, et locum tenente in civilibus. II. A gubernatore et ejus locum tenente in civilibus. III. Ab auditore generali camerae apostolicae et duobus ejus locum tenentibus in civilibus. IV. A senatore ac duobus ejus collateralibus. V. A pauperum avvocato pro solis pauperibus, et domi suae tantum, vel in carceribus, et gratis omnino, etiamsi aliquid sponte ipsi detur. Insuper pro validitate hujusmodi decretorum exprimenda sunt in instrumento utilitas contractus, et jura seu scripturae, ex quibus evincitur talis utilitas; interposito iudicium juramento super visura dictorum jurium a se facta, sub poena iudicibus et eorum notariis imposita refectionis damnorum directe, et in solidum cum altera parte contradicente, et nullitatis contractus, non obstante quocumque juramento a mulieribus, minoribus et gra-

puberibus interposito, prout in citata constitutione. (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 192). »

ADNOTATIO XII.

Lib. I. Tit. XXXII, § III, n. 69, pag. 39.

DE DEPUTANDO LITIGANTI ADVOCATO.

« Ex decretali Honorii III, *Ex litteris*, eod. tit. eruitur quod, si una ex partibus litigantibus imploret pro sua defensione officium iudicis, hic tenatur ei advocatum deputare. Verum licet olim id in usu fuerit quando scilicet advocatis ex publico arario salaria dabantur juxta leg. *Nec quisquam*, ff. *de Off. procons.* § *Advocatus* et § *An praetor*, ff. *de Post.*; hodie tamen, cum salaria ista cessaverint, quisque sibi providere debet prout potest, nisi agatur de litigantibus pauperibus, quibus et hodie iudex assignare debet advocatum fere ubique locorum cum salario, aut ex publico arario, aut ex priorum testatorum relictis destinandum, ut in regno Neapolitano, in Gallia et Germania, ac in hac ipsa urbe Romae, in qua hunc ad finem instituta est congregatio S. Ivonis et praelatura Amadori. (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 192). »

ADNOTATIO XIII.

Lib. I. Tit. XXXIII, De majoritate et obedientia, n. 8, pag. 41.

DE CLERICIS ORDINATIS A PAPA.

« Juxta magis receptam canonistarum sententiam, licet ordinatus a Papa non eximatur ab ordinarii jurisdictione, si tamen suspendendus vel deponendus esset ab ordine per Papam collato, ad hunc transmitti deberet processus ab episcopo constructus pro sententiae prolatione, propter obsequium summo Pontifici debitum; Hallier. part. II, sect. V, cap. III, art. 9, § 4. n. 6. (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 194). »

ADNOTATIO XIV.

Lib. I. Tit. XXXIII, n. 33, pag. 44.

CLERICI SUUM ORDINEM CORAM LAICIS IN DIGNITATE CONSTITUTIS NON DEHONESTENT.

Huc recurrit caput XVII *de Reform.* sess. XXV concilii Tridentini: « Non potest sancta synodus non graviter dolere, audiens episcopos aliquos, sui status oblitos, pontificiam dignitatem non leviter dehonestare, qui cum regum ministris, regulis et baronibus, in ecclesia et extra, indecenti quadam demissione se gerunt et veluti inferiores ministri altaris nimis indigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare hoc et similia detestans sancta synodus, sacros canones omnes, conciliaque generalia atque alias apostolicas sanctiones ad dignitatis episcopalis decorem et gra-

vitatem pertinentes renovando, praecipit ut ab hujusmodi in posterum episcopi se absteant; mandans eisdem ut, tam in ecclesia quam foris, suum gradum et ordinem praeculis habentes, ubique se patres et pastores esse meminerint; reliquis vero tam principibus quam caeteris omnibus ut eos paterno honore ac debita reverentia prosequantur. »

Illud caput, ad mentem concilii, debita cum proportione, omnibus clericis est applicandum.

ADNOTATIO XV.

Lib. I. Tit. XXXIII, n. 38, pag. 45.

DE PRAECEDENTIA INTER PERSONAS ECCLESIASTICAS.

« Cum ad majoritatem spectent gradus praecedentiae inter personas ecclesiasticas, recensentur ii, quibus haec praecedentia competit, ex Remigio Maschat, in *Instit. canonic.* hoc eod. tit. n. 3: « I. Papa antecellit omnes in Ecclesia, tanquam pastor universalis. II. Cardinales episcopi, presbyteri et diaconi, ex dispositione Bonifacii VIII et Clementis V, quibus etiam Urbanus VIII, anno 1630 die 10 junii, titulum eminentiae attribuit cum alias dieti fuerint illustrissimi. III. Patriarcha, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus et Constantinopolitanus, qui deinde tribus prioribus praelatus est. IV. Primates, archiepiscopi, episcopi, praelati et tandem caeteri clerici. V. In dioecesi primum locum obtinet episcopus; hunc de jure communi sequitur vicarius generalis, archidiaconus, archipresbyter et alii canonici: Sede autem vacante, vicarius sequitur decanum qui primam dignitatem obtinet in ecclesia cathedrali. At de consuetudine praesertim Germaniae vicarius, si canonicus est, obtinet locum sui canonici; si vero non est canonicus, sequitur canonicos. Deinde veniunt canonici collegiati, decani rurales, parochi et reliquis clerus saecularis. VI. Clerum saecularem excipit clerus regularis, in quo de jure praecedentiam habent canonici et clerici regulares, tum monachi, ac deinde mendicantes. De consuetudine saepe aliud observatur. VII. In concursu cleri saecularis et regularis, abbates et praelati regulares praecedunt canonicos etiam cathedralis solitarie incidentes, quia his praeminent jurisdictione, licet consuetudo aliud habeat in certis locis. Si autem canonici collegialiter incedant cum suo episcopo, praecedentiam habent ante abbates et praelatos regulares, quia hoc modo representant Ecclesiam cathedralem quae dignior est abbati; haec vero post episcopalem dignior est aliis dignitatibus et ecclesiis; can. 12, *Si quis* XVI, quaest. 7. »

« Circa praecedentiam protonotariorum apostolicorum haec habet laudatus Remigius loco citato n. 4: « Protonotarii, seu primi notarii participant, sunt personae in dignitate ecclesiastica constitutae, speciale officium in curia romana obtinea-